

magnus exercitum duxit 122.0.41.0. Omnes hæ regiones sub Tartaria Corasina comprehenduntur. Sacæ terminantur ab occasu Sogdiana, à Septentrione Scythia intra Imaum montem, ab ortu Scythia extra Imaum montem, à meridie India intra Gangem, regio Nomadum est, ciuitates non habuerunt tempore Ptolemei, sed speluncas & nemora inhabitabant, omnes hæ regiones sub Tartariæ Torquesten nomine comprehenduntur. Scythia intra Imaum montem, ab occasu habet Asiaticam Sarmatiam, à septentrione terram Ptole. incognitam, sed nunc ultra hunc terminum sunt regna latissima Saomedorum ac Paratarum, ab ortu Imaum montem, à meridie Sacas, Sogdianos, & Margianam. Sub hac hodie sunt Tartaria Cumanie & Corasinae, terra etiam Biferminorum, Kangitarum, Naymanorum & Morduanorum. Scythia extra Imaum montem, terminatur ab occasu Scythia altera & Sacis, à septentrione terra incognita Ptolemæo, quæ nunc Tartaria Mongalis est, ab ortu Serica, à meridie parte Indiae extra Gangem. Sunt sub hac latissima regione terra Leythaorum, Tangut prouincia, terra Solangorum, Camul prouincia, Chinchitalis prouincia, Burithabet prouincia, Chayra prouincia, Cyamba prouincia magna, Serica terminatur ab occasu Scythia, quæ extra Imaum est, à septentrione atq; ortu terra incognita Ptole. Nunc autem ibidem multæ sunt regiones, ut Tholoma, Mursuli regio, Casuaria, à meridie India extra Gangem & Sinis. In hac Issedones sunt, & urbs metropolis Sera sub gradibus 177.15.38.35.

De Aria, Paropanifadis, Drangiana, Archosia, Gedrosia, duabus Indijs, & Sinarum regione.

CAPVT XIX.



Ria à septentrione habet Margianam ac Baetra, ab occasu Parthiam ac Carmaniam desertam, à meridie Dragianam, ab ortu Paropanifadas. In ea est Alexandria ab ipso Alexandro ædificata 110.0.36.0. Paropanifade ab occasu habet Ariam, à Septentrione Baetra, ab ortu Indiam cis Gangem, à meridie Arachosiam. Drangiana ab occasu habet Carmaniam desertam, à septentrione Ariam, ab ortu, Arachosiam, à meridie Gedrosiam. Archosia terminantur ab occasu Drangiana, à septentrione Paropanifadis, ab ortu India cis Gangem, à meridie Gedrosia. In hac Alexandria est 114.0.21.0. hæ regiones hodie sub Torquest Tartariæ nomine comprehenduntur. Gedrosia terminatur ab occasu Carmania altera, à septentrione Drangiana ac Arachosia, ab ortu India cis Gangem, à meridie Oceano Indico meridionali, hodie Tarse, Guzerate & Cambeie regiones, urbem præclaram habet Parsim metropolim, quæ forte nunc Guzerat dicitur 106.30.23.30. India cis Gangem, habet ab occasu Paripanifadas, Arachosiam, & Gedrosiam, à septentrione Imaum montem iuxta superiacentes Sogdianos ac Sacas, ab ortu Gangem fluuium, ac alteram trans Gangem indiam, à meridie Indicum Oceanum. In hac indus est permaximus fluuius, à quo india nomen habet, urbem habet uulgatissimam Nagaram, quæ & Dionysopolis, eam quidam Nyssam uocarunt 121.30.32.30. ualde populosa est. Nam Persiæ regnum sectiam hodie extendit per Carmaniam ac Magoliam, ad usq; urbem præclarissimam huius Indiae Dabulam sitam sub grad. 117.0.17.50, & ab hinc usq; Cananor ciuitatem, quæ sita est sub grad. 117.20.14.0. est regnum Guzerate, ab inde etiam est imperium maximum Melybarum, ad Cael usq; emporium quod subest grad. 117.30.5.0. Sunt autem ciuit. Melybarum Calicutia emporium Indiae uulgatissimum 117.20.12.5. Cochinuel Coetzin 117.25.10.0. Colon regalis

lis